

Letter 60: 24 October 1520, Rome, Peter Gebwiler to Capito

The manuscript of this letter is in the Universitätsbibliothek Basel, Ki. Ar. 25a, 53.

Salutem cum commendatione, et cetera.

Quod rarius literas D.V. receperit a me atque forsán par est, eo potissimum accidit, caussam praepositurae necnon canonicatus et praebendae nondum reductam quo vellemus. Verum in dies huc usque cum adversariis acriter a nostris dimicatum est, ne nil preter manuum
5 quasi iniunctionem superesse videatur. Nec tamen in hoc duello, summa rei aut, quod aiunt, principale negotium vertebatur. Sed tota contentio fuit, an post generalem sententiam ab obitu Io. Richshofer contra omnes et singulos obtentam, eiusdem vigore literae exequutoriales decretae exequutioni demandandae veniant, nec ne; adversariis in animo fuit, habita virtute predictae generalis sententiae re iudicata, vel ad possessionem tradendam capitulum compellere,
10 priusquam in negotio principali quicquam a nobis agatur. Quod e regione nervis omnibus impedire nisi sumus, ut certe impediremus, pluribus specialibus rescriptis usi, quo caussa, a priore iudice, coram quo sententiam pro votis eorum obtinuerunt, averteretur atque alteri cognoscenda committeretur, ut autem eo facilius rem huc deduceremus. A die habitae notitiae praesentatae rei iudicatae pro parte D.V. appellatum est, et eadem caussa appellationis etiam
15 commissa, restat nunc a priori iudice acta causae transferri curemus, in quibus commentariis iuditiariis adversariorum sycphantias et technas videre licet, quibus non visis processum instituere, actum ageremus.

Habet Sebastianus Bender, alter adversariorum, secunda, ni fallor, die post obitum Iohannis Schutz provisionem a pontifice; etiam qua ad ius Iohannis Abe[^I] proinde visis
20 revisisque iuribus ad amussim, consilio prudentum et bene sentientium amicorum auxilio alia nobis investiganda via est, qua tela et arma in nos instructa suos auctores feriant, pro quo reverendissimus dominus cardinalis sanctorum quattuor coronatorum, nunc maior penitentiarius, omnem operam pollicitus est, ac non humilem spem nobis tribuit, quae etiam, ut arbitror, a doctore Valentino Dettleben partim D.V. intellexit, quum et ipse literas a Maguntino patrono
25 D.V. missas Cardinali presentavit. Ceterum nemo est omnium, qui non partes suas probe agat, presertim D. Theodoricus Spat; quaeque causae conveniunt, accurata diligentia circumspicit; eum nullius laboris ac sollicitudinis tedet, quinimo forensium causarum non mediocrem usum et experientiam habens, etiam cuius opera imposterum utemur. Hinc non satis eundem atque suos in Maguntia D.V. non incognitos eorumque omnia D. commendare ausim, licet nihil minus opus
30 foret, quam commendatissimos a me homuntione magis commendari. Verumtamen hoc persuasissimum habeo hanc meam, qualemcumque commendatiunculam apud D.V. non vulgarem omnino extitisse, etiam prefati D. Theodorici, amicos et agentes suos cognituros.

Bene valete. Datum Rome vigesimaquarta Octobris anno M.D.XX. Clientuli in foelicitate ne inmemor prorsus estote.

35 R.D.V. Petrus Gebwiler obsequentissimus.